



R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs V. De vnitate entis vt sic.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)


300 Respondeo primò, animal hominis prout abstractum à rationalitate esse diuersum ab equo, non quidem specificè propter præcisionem illam à differentia sua specifica; ac certè numericè, ac realiter ob hæcitatatem, quam inuoluere potest, ac debet, quantumuis ita abstractum: hanc autem posteriorem distinctionem, siue diuersitatem sufficere ad realem similitudinis, & quamuis aliam. Respondeo secundò, tamen si, vt contendit argumentum, omnis distinctio, siue diuersitas in actu secundo animalis humani ab equino permittatur disputandi gratiâ proficisci à rationalitate, animal tamen hominis, prout abstractum ab illa, dici posse realiter simile equo, aliterue ad eum relatum: siquidem similitudinis, alteriusque cuiusvis relationis sufficiens fundamentum est distinctio in actu primo seorsim à quauis in actu secundo, quam vocant exercitiam.

301 Trigésimum tertium argumentum est, à nobis committi circulum vitiosum. Interrogant enim, cur animal, & rationale, cum realiter, ac propriè idem sint, prædicata tamen contradictoria fortiantur, illicò respondemus, quia distinguuntur virtualiter. Deinde interroganti, quapropter animal, & rationale distinguuntur virtualiter, statim referimus, quoniam eis prædicata contradictoria competunt. Circulo igitur gyroque vitioso, eò, vnde cœpimus, retroagimur, totamque rem inexplicatam, & minimè perspicuam, sicuti antea relinquimus; quemadmodum si quis diceret, patrem esse, qui habet filium, & filium qui habet patrem, & neutrum amplius exponeret.

Hi, qui sic arguunt, hostem sibi fingunt, quem 302 feriant. Haud enim omnes, qui distinctionem virtualem tuemur, ita de ea Philosophamur, sicuti supponitur in argumento; sed rectius sentientes dicimus, ideo animal, ac rationale prædicata habere contradictoria, quoniam distinguuntur virtualiter, ideo verò illa virtualiter distingui, quia habent aptitudinē ad prædicata contradictoria, & idcirco denique ea habere eiusmodi aptitudinem, quoniam à posteriori hoc multis, faciliusque efficacibus colligitur argumentis. In hoc autem philosophandi modo, quæ, obsecro, vitiosa conuersio? quæ rei explicandæ confusio, & implicatio? Quid vilitatis, quàm rationem reddere effectus per causam, & rursus causam definire, & explicare per aptitudinem ad effectum, & hanc tandem à posteriori enucleare, medio aliquo ad id inuento? Sic dicimus, hominem sentire, ac discurre, quia est homo, esse hominem, quia est animal rationale, siue principium sentiendi, & discurrendi; rursus esse principium sentiendi & discurrendi siue animal rationale, quoniam à posteriori per signa, vel effectus id veniamur. Eundem ergo in modum contradictio prædicatorum per distinctionem virtualem, veluti effectus per causam, & distinctio virtualis per aptitudinem ad prædicata contradictoria, tanquam causa per aptitudinem ad effectum suum, & rursus hæc aptitudo à posteriori variis mediis, & argumentis colligitur, quin opus nobis sit eo regredi, vnde cœpimus.

303 Postremum argumentum, aut potius argumentorum syluula. Admissa distinctione virtuali quorumcunque graduum inæqualium, necesse erit, vt ens, perfectio, differentia, indiuiduum in communi, &c. à suis inferioribus virtualiter distinguantur. Consequens autem est absurdum: haud enim videtur negari posse, rationalitatem formalissimè, siue virtualiter intrinsecè esse ens, & esse perfectionem, necnon differentiam: item Perseitatatem v. g. simili ratione esse indiduationem. Cæterum hæc partim explicata

sunt in Dialect. lib. 9. tract. 4. cap. 3. & 4. partim verò explicabuntur inferiùs libro quinto huius operis tractatu primo per totum. Atque hæcenus argumenta aduersus distinctionem virtualem intrinsecam in rebus creatis, & quæ in aliis reperi, & quæ mihi sese obrulerunt.



TRACTATUS V.

De vnitatis entis vt sic.

CAPVT I.

In quo consistat vnitatis?

Est multiplicem identitatem, ac distinctionem entis vt sic hæcenus latissimè explicatas, super sunt explicandæ tres notissimæ eiusdem entis proprietates, videlicet vnitatis, veritatis, & bonitatis. Vnitatis vno omnium consensu est indiuisio rei in se aut, quod perinde, est negatio diuisionis rei in se; diuidi autem duas res inuicem est vnam non esse alteri intrinsecam, aut per identitatem, aut etiam per vnionem physicam. An autem vnitatis siue indiuisio, conceptus positius sit, an negatiuus? An & quouique distinguatur ab ente? inter Authores controvertitur. D. Bonau. Alexander, Vasquez, Sorus, & alij per plures apud P. Suarez disp. 4. Metaphys. lect. 1. Vasquez 1. part. tom. 2. disp. 128. cap. 2. tenent, vnitatem esse conceptum positium, sola ratione ab ente distinctum. Scotus 4. Metaphys. quæst. 2. & eius asseclæ censent, vnitatem esse conceptum positium ab ente ex natura rei, siue realiter modaliter distinctum. D. Thomas p. 1. quæst. 6. art. 3. Caietan. 1. part. quæst. 11. art. 1. Fonseca 4. Metaphys. quæst. 5. cap. 5. & alij complures tenent, vnitatem esse meram negationem realiter ab ente distinctam. Tandem Capreolus in 1. dist. 24. quæst. 1. Soncinas, lauellus, Flandria, & communiter Thomistæ docent, vnitatem esse complexum quoddam ex ente, & negatione diuisionis superaddita. Non desunt etiam qui ens nullas habere proprietates à se distinctas, ac proinde vnum in ipso ente circumscripto quouis alio consistere arbitrentur. Quid ipse sentiam, & in quo cum Authoribus commemoratis consentiam, acque dissentiam, nonnullis assertionibus, vt mihi moris est, explico.

2 Afferro ergo primò: ens habet proprietates aliquas propriè tales & à se distinctas; ac proinde vnitatis ab ente quodammodo distingui debet. Hæc assertio probatur primò autoritate Aristotel. 4. Metaphys. cap. 1. ibi: *est scientia quadam, quæ speculatur ens in quantum ens est, & ea, quæ illi per se insunt*. Secundò quia ens est subiectum Metaphysicæ: at subiectum scientiæ proprietates aliquas de eo demonstrabiles sortiri debet, vt omnium scientiarum inductione constat: ergo ens eiusmodi proprietates sibi vendicat, à quibus non est, cur vna vnitatis excludatur. Tertiò quia vnum attribuitur enti absque vlla intellectus fictione, vt manifestum videtur: at quod attribuitur alicui, ab eo quodammodo distinguitur: nihil enim sibi ipsi attribui potest: ergo vnum ab ente saltem ratione distinguitur: quid ergo ei ad proprietatem entis deesse potest?

3 Afferro secundò: vnitatis in sola negatione consistit. Probatur, quia aliquid esse vnum est esse indiuisum in se, vt cum Aristotele 4. Metaphys. & 10. Metaphys. & alibi sæpè omnes Philosophi fatentur: ergo vnitatis est

est sola indiuisio : Cum ergo indiuisio sit negatio diuisionis, sanè vnitas in sola negatione consistit. Explicatur : eo ipso quòd rem esse cognitam sit esse representatam, cognitio in sola obiecti representatione consistit : igitur eo ipso, quòd rem esse vnā sit esse indiuisā, vnitas in sola indiuisione, & negatione consistit. Secundò probatur assertio : quia si vnitas non consistit in sola negatione diuisionis, vel consistit in conceptu positio ab ente distincto eam negationem fundante, vel in ipso ente, & ea negatione; aut, quod recidit in idem, in vtriusque complexione. Non primum, quia sicut rationalitas non fundat risibilitatem per prædicatū à se distinctum, sed per seipsam; aliās eiusmodi prædicatū per aliud, & sic vltius fundaret; vnde absque vlla necessitate, aut vtilitate processus in infinitum prædicatorum : ita similiter entitas rei per seipsam seorsum à quouis alio indiuisiōnem fundat. Secundum autem dici non potest, quia materia v. g. est vnum cum forma vnitatis compositionis, quin eiusmodi vnitas, siue vnio sit materia simul cum modo inter eam, & formam in teriecto, sed potius solus eiusmodi modus materiæ & formæ indifferentiam determinans, vt exploratum est : ergo similiter vnitas alicuius entis erit non complexum entis, & negationis superaddita, sed sola negatio superaddita.

3 Asserto tertio : vnitas non distinguitur ab ente distinctione reali absoluta, aut modali. Probatur assertio : quia vt nunc constabit, nulla eius distinctionis vtilitas aut necessitas esse potest, cum sola distinctio virtualis prædicata contradictoria vnitati, & enti congrua fundare possit. Cum etiam quia quæuis res, prout realiter distinguitur à quouis alia, habet vnitatem, & est realiter vna; aliās fingi posset, vbitatem hominis v. g. prout condistinctam ab homine realiter, realiter vnā non esse : igitur vnitatis entis prout condistinctum realiter ab ente, vna est : vel ergo per seipsam realiter, & idem de ente dici poterit : vel per aliud à se realiter distinctum, & de illo alio eandem quæstionem instituiam : ac proinde vel in eo intentum sequetur, vel infinitus processus vnitatum realiter distinctarum. Dices : vnio vnitatur per seipsam realiter, & tamen eius extrema per seipsa realiter non vniuntur : ergo quamuis vnitas entis per seipsam vna realiter sit, non propterea idem de ente dicendum erit. Verum ratio disparitatis in aperto est : idcirco enim extrema vnionis, perinde ac vnio, per semetipsa vnitri nequeunt, quia sunt indifferentia, vt vniuntur, vel non vniuntur : qua indifferentia vnio destituta est : at ens v. g. Angelus non est indifferens, vt vnus, vel non vnus sit : cur ergo, haud secus ac vnitas, per seipsam vnus esse nequeat? Dices secundò : vnitatem vt quod, & propriè vnā non esse; quemadmodum albedo alba non est. Contra tamen, quia multitudo non solum vt quod, verumetiam vt quod multiplex est; multitudo enim hominum, & multitudo Angelorum duæ multitudines sunt : ergo etiam vnitas non solum vt quod & improprie, verumetiam vt quod, & proprie vna erit. Rursus iuxta aduersarios vnitas vt quod, & proprie distinguitur realiter ab ente : igitur vt quod, & proprie secum ipsa eadem erit; cum identitas distinctioni e diametro correspondeat : cur in seipsa proprie, atque vt quod vna non sit?

4 Asserto quarto : vnitas distinguitur à parte rei distinctione virtuali intrinseca ab ente. Probatur assertio. Tum quia relatio numeri à rebus numeratis more reliquarum relationum prædicamentaliū virtualiter intrinsece distinguitur, vt lib. 3. tract. 6. cap. 17. huius operis ostendimus : ergo & vnitas numero, siue mul-

titudini proportionaliter opposita à re vna virtualiter intrinsece distinguitur. Tum quia duo Angeli v. g. Michael, & Raphael in vnitare æquales sunt, cum vterque omnis compositionis substantialis expers, alicuius verò compositionis accidentalis particeps sit, in entitate verò & perfectione inæquales sunt, & alter altero perfectior est : at æqualitas, & inæqualitas sunt prædicata contradictoria : ergo vnitati, & entitati Angelicæ prædicata contradictoria conueniunt : atque adeò virtualiter distinguuntur.

CAPVT II.

Argumenta contraria Soluuntur.

5 Obiicies contra primam assertionem : proprietas omnis ab essentia, cuius proprietas est, distinguitur : at vnitas nec re, nec ratione distinguitur ab ente : ergo eius proprietas esse nequit. Maior perspicua est : quia nihil suiipsius proprietas esse potest. Minor non minus perspicua videtur : quia ens transcendit omne prædicatū reale : at vnitas cuiusque rei est prædicatū reale : ergo ab ente transcenditur, ab eoque non distinguitur. Confirmatur, & declaratur : vnitas est formalissimè ens, nec enim chymæra est, aliās entis passio esse non posset : ergo si vnitas est proprietas entis, suiipsius proprietas erit. Verum vnitatem, & reliquas proprietates, ac differentias etiam contractiuas entis, ab eo non transcendendi : sed potius virtualiter distingui; tum cap. præcedenti, obiter ostensum est, tum etiam infra lib. 5. tract. 1. fusè ostendetur. Contra secundam assertionem obiicies : vnitas est indiuisio, siue negatio diuisionis : diuisio autem est negatio : vnde vnitas est negatio negationis : cum igitur negatio negationis sit affirmatio, & quid positium : vnitas non negatio, sed quid positium censeretur, quantumvis nominibus negationem experimentibus vsurpetur. Respondent nonnulli cum Agidio 4. Metaphys. q. 6. vnitatem esse negationem diuisionis, id est, positiuæ multitudinis, vnde non esse negationem negationis.

6 Verum hæc responsio non satisfacit, siquidem multitudo explicatur per vnitatem : multitudo enim cum numero concidit : numerus autem omnium consensus est collectio vnitatum : ergo & multitudo : id quod disertè docet B. Thomas 10. Metaphys. text. 6. lect. 4. ibi : *nihil aliud est multitudo, quam aggregatio vnitatum : vnde licet ea, quæ sunt diuisa, multa sint, non habent tamen rationem multorum, nisi postquam huic, & illi attribuitur, quod sit vnum*, hæcenus ille. Multitudo igitur potius per vnitatem, & in ordine ad illam, quam vnitas per multitudinem, & in ordine ad illam, explicanda est. Rursus : vnitas, aut est negatio multitudinis penes positium, quod multitudo inuoluit : & hoc falsum est, quia eiusmodi positium secundum se diuisio non est magis, quam indiuisio : vnitas autem solam diuisionem negat. Aut negat multitudinem penes negationem, quam multitudo importat : in quo sensu B. Thomas ait, vnitatem esse negationem multitudinis in 1. dist. 24. q. 1. art. 3. ibi : *vnum non est priuatio illius multitudinis, quam constituit ; sed multitudinis, quæ negatur esse in ipso, quod dicitur vnum*. Et 1. parte quest. 11. art. 1. ibi : *vnum opponitur multitudini per modum priuationis, vt indiuisum diuiso* : at in hoc sensu, quòd vnitas sit negatio multitudinis, aduersariam solutionem euertit, non sustinet. Dilucidius igitur, & expeditius responderi potest, vnitatem esse negationem

nem negationis : ceterum negationem negationis esse realiter quid positium, virtualiter tamen ab eo distingui : ac per consequens virtualiter, & secundum se sumptam esse meram negationem. Quod in hunc modum ostendo: toties aliqua duo virtualiter distinguuntur, quoties respiciunt diuersa connotata: at carentia tenebrarum, & lux respiciunt diuersa connotata; carentia tenebrarum tenebras, lux autem non tenebras, sed dolorem, & potentiam visiuam; cum sit id, per quod color, si à se distinctus sit, proxime visibilis constituitur: igitur lux, & carentia tenebrarum, & vniuersum negatio negationis, ac affirmatio, siue positio virtualiter intrinsecè distinguuntur. Qui autem distinctionem virtualement in rebus creatis renunt, dicant cum Soncinate 10. Metaph. quæst. 4. negationem negationis ratione nostra distingui ab omni positio: ac proinde unitatem, quæ negatio negationis non est, ratione nostra, & formaliter non esse quid positium, sed ab eo distingui.

7 Obiicies contra eandem assertionem secundò: quod homo v. g. sit vnus, oritur formaliter ex eius vnione, quæ corpus & anima eius coalescunt: at eiusmodi vnio est quid positium: ergo vnitas hominis & cuiusvis alterius compositi quid positium erit: Tertio: quia punctum per positum suam entitatem est indiuisibile: ergo est vnum. Consequentia perspicua est: siquidem vnum, & indiuisum coincidunt. Antecedens autem in propatulo est: id enim habet vnaquæque res per suam entitatem, quod in eius definitione ponitur: at punctum definitur per hoc, quod sit indiuisibile versus omnem dimensionem. Quarto: quia vnitas est perfectio; qua ratione Deus vnus est: at si in positio ista non esset, & mera negatio esset, proculdubio perfectionem non concerneret, cum negatio ad imperfectionem potius quàm ad perfectionem attineat. Quinto: quia esto vnitas negationem includat, non est, cur eam solam, & non potius eam, & ipsum ens includat: vt docet B. Thomas in 1. dist. 19. q. 4. art. 1. ad 2. ibi: *ipsa essentia entis creati secundum quod est indiuisa in se, & distincta ab alijs, est vnitas eius*. Verum ad secundum respondeo, vnionem corporis, & animæ esse unitatem quandam respectuam vtriusque, atque adeo impropriam, de qua in præsentī sermo non est; sed de unitate propria, & rigorosa hominis; quam in vnione partium hominis, aut in alio positio consistere aduersarij frustra conabuntur. Ad tertium: aliud est punctum esse indiuisibile, siue infectibile realiter: aliud est, esse indiuisum actu: prius enim est quid positium, & mera radix negationis: posterius verò est negatio, sicuti suprà exposuimus: vnitas autem in indiuisione non verò in indiuisibilitate consistit: vnde quamuis punctum per positum suam entitatem indiuisibile sit, non propterea per positum suam entitatem, sed potius per negationem subsequutam vnum erit. Ad quartum: sicuti esse infinitum, increatum, immensum, perfectiones sunt, vt exploratum est; cur vnitas quamuis similiter in negatione sita sit, perfectio esse nequeat? Ad quintum suprà cap. præcedenti prope medium satisfactum est.

8 Obiicies contra tertiam assertionem: prædicata contradictoria cum distinctione reali absoluta, aut modali coherent: at enti, & unitati prædicata contradictoria congruunt, vt ad finem cap. præcedentis perstrinximus. Secundò quia omnis negatio distinguitur realiter ab omni positio: quo enim pacto aliquid simul positium, & negatiuum esse potest? At vnitas iuxta nos est vera negatio: ergo ab ente, quod positium est, realiter distinguitur. Ad primum respondeo: prædicata contradictoria enti, & unitati

conuenientia merito solius distinctionis virtualis facta rectè defendi possunt: cum huiusmodi distinctio à parte rei vera distinctio sit, quamuis inter realem, & rationis media. Ad secundum lib. 4. tract. 2. cap. 1 constabit, negationem respectiuam, quæ nihil à rebus absolute tollit, eiusmodi quidem est negatio diuisionis, non debere distingui realiter ab omni positio, sed ad summum virtualiter. Contra quartam assertionem, quæ obiici possunt, ex dictis facilem solutionem habent.

CAPVT III.

Quotuplex est vnitas, & quæ eius radix.

A Ristoteles 4. Metaphys. & alibi sæpe varias unitatis species tradit: quarum quæ scitu magis dignæ fuerint, ex in præsentī à nobis breuiter exponuntur. Vnitas ergo alia est vniuersalis, qua ratio aliqua communis à differentiis indiuidualibus abstrahitur: & hæc iterum generica, aut specifica est: alia est indiuidualis, qua ratio aliqua à pluribus inferioribus abstrahi, in eam diuidi nequit: vtramque 1. 8. & 9. Dialecticæ ad amissum exposuimus. Deinde vnitas, alia est simplicitatis, quæ partes componentes excludit; qua ratione natura Angeli vna est, alia est compositionis, quæ partes distinctas, & vnitas postulat; qua ratione natura hominis vna est: siue vt B. Thomas loquitur 1. p. q. 6. art. 3. vnitas simplicitatis est, quæ res est indiuisa solo actu. Rursus vnitas alia est per se, alia per accidens: vnitas per se est, quæ substantia aliqua completa per simplicitatem, aut compositionem vna est, vt homo, Angelus, &c. vnitas per accidens est quæuis alia, vt album, domus, respublica, &c. Demum vnitas transcendentalis est quæcumque earum, quas hucusque exponimus. Porro autem radix cuiusque unitatis, est entitas eius rei, quæ vna dicitur: radix enim proprietatis est essentia: vnitas autem est proprietas entitatis, & hæc eius essentia: radix ergo unitatis entitas est: atque vt per singulas unitates percurram, quis non conspiciat, radicem unitatis vniuersalis esse entitates singularium inter se similes: cum huiusmodi similitudo actum intellectus fundet, per quem inferiora in vnum extrinsecè confunduntur? Rursus, quod natura Petri vna unitate indiuiduali, & hæc numero sit, nonne ipsamet radix est: cum ne de potentia Dei absoluta simul plures, & non vna numero esse possit; quidquid sit, an per hanc, illamve singularitatem indifferenter vna, & indiuidua esse possit. Præterea entitas, siue essentia hominis simplicitatis; & entitas, atque essentia Angeli compositioni repugnat: ergo illa est radix unitatis per compositionem, & hæc unitatis per simplicitatem. Eadem ratione conuinci potest, unitatem per se, & per accidens in essentia entis per se, & per accidens radicari.

Verum Thomistæ nobis negotium in re alioqui clarissimâ facessunt, apud quos nihil celebrius, quàm radicem, siue principium indiuiduationis esse materiam signatam quantitate: per quantitatem autem, qua materia sigillatur, per plures eorum intelligunt non quantitatem materialem solum, verumetiam physicam, seu accidentibus sensibilibus affectam. Rursus materiam quantitate sigillari censent nonnulli perinde esse, ac eam quantitate affici: alij verò perinde esse, ac eam fortiri modum aliquem, per quem hanc determinatam quantitatem respiciat, & exposcat. Ita B. Thomas 1. p. q. 3. art. 3. ad 3. & in 4. dist. 13. q. 14 art. 1. q. 2. & alibi sæpe, Caietanus de ente, & essentia cap. 2.

e. 2. Capreolus in 2. dist. 3. Soncinas 7. Metaphys. q. 33. & 34. Ferrara 1. contra gent. cap. 21. Hæc sententia, ni fallor, manifestè impugnari potest: quia aut materia signata quantitate est radix unitatis individualis, eo quod hoc indiuiduum solo numero ab alio distinctum eiusmodi materia constituitur; aut eo quod eiusmodi materiam respiciat: Neutrum dici potest: ergo, &c. Quod primum dici nequeat, suadetur primò: quia hoc indiuiduum *Petrus* v. g. est substantia: at substantia accidenti constitui nequit; ergo eiusmodi indiuiduum accidenti constitui non potest. Vnde cum materia signata quantitate accidens importet tale indiuiduum materia signata quantitate constitui non poterit. Aut paulò aliter: hoc indiuiduum solo numero ab alio distinctum v. g. hic candor est omnino accidens: quo ergo pacto materia prima, quæ substantia est, constitui poterit?

11 Secundò quia quantitas aut recipitur in sola materia, ita ut eadem sit in genito, & corrupto; aut recipitur in còposito, ita ut diuersa sit in genito, & corrupto, homine v. g. & cadauere: si secundum: ergo pro priori naturæ ad quantitatem intelligitur hoc numero còpositum *Petrus* v. g. ac per consequens hoc numero còpositum quantitate constitui nequit: si primum, ergo hæc materia signata quantitate est indifferens ad hoc, vel illud numero còpositum: ergo quod còpositum sit hoc numero potius, quàm illud; in materiam signatam quantitate, velut radicem refundi nequit: quemadmodum, quia materia prima est indifferens ad hoc, vel illud speciei còpositum, hominem v. g. vel equum, radix differentie specificæ non materia, sed forma ab omnibus statuitur. Tertiò quia anima rationalis separata à corpore est hæc numero, & indiuidua: at materia signata quantitate in eo statu non constituitur: ergo materia signata quantitate non est radix constitutiva indiuidui. Quartò quia Angelus est indiuiduum solo numero distinctum ab alio Ang. lo, ut sua sede ostenditur: at materiam quantitate insignem non concernit. Quod si differentiam merè indiuidualem, qua vnus Angelus ab alio solo numero differat, admittere renuas: certè plures volitiones, aut intellectiones, vocationes, aut durationes Angelicas solo numero distinctas diffiteri non poteris: at horum accidentium spiritualium indiuiduatio in materiam quantitativam, aut quantitatis expertem reici nequit. Quintò demum, quia quantitas, & reliqua accidentia Eucharistica sunt hæc numero: at nullam materiam nedum signatam quantitate concernunt: ergo &c. Maior perspicua est: quia eadem numero accidentia panis post eius consecrationem, & conuersionem in substantiam corporis Christi remanent, ut fide cantum est: at ante erant hæc numero: ergo & postea.

12 Quod autem secundum dici nequeat, nimirum materiam signatam quantitate esse radicem indiuiduationis, eo quod hoc numero indiuiduum eam respiciat, haud difficultus ostendi potest. Primò quia ut lib. 1. Phys. tr. 9. ostendimus, hoc numero còpositum *Petrus*, verbi gratia, est indifferens ad hanc numero materiam signatam quantitate, vel ad aliam quamvis: id quod experientia ipsa planum facit; siquidem idem numero homo, modò puer, modò senex diuersam numero materiam signatam quantitate sortitur: igitur hoc numero còpositum non respicit hanc materiam signatam quantitate potius, quàm illam: igitur à respectu ad hanc præ alia indiuiduari, siue hoc numero constitui non poterit. Præterea quantitas aut recipitur in toto còposito; & ita sicut materia est indifferens ad hanc, vel illam formam, quam recipit, ita similiter

còpositum erit indifferens ad hanc, vel illam quantitatem, quam suscipit; vnde hanc numero quantitatem signatè, siue determinatè non respicit, sicuti opus esset ad hoc, ut ab ea indiuiduaretur: aut quantitas in sola materia recipitur; & ita materia signata quantitate est indifferens, ut huic numero còposito, vel alij cuius insit: vnde non magis hoc numero còpositum hanc materiam signatam quantitate respicit, quàm aliud quoduis còpositum substantiale: ergo quod còpositum sit hoc numero potius, quàm aliud, non habet ab eo respectum: aliàs qua ratione respectus ille communis est alteri còposito, alterum etiam còpositum esset hoc numero còpositum, à quo distinguitur: quod ridiculum est.

13 Rursus hæc numero anima rationalis non respicit determinatè hanc materiam quantitate signatam sed ad quamlibet indifferens est: ergo quod hæc numero, & indiuidua sit, ab eiusmodi respectu non sortitur. Consequentia perspicua est. Antecedens nisi à Thomistis negatum viderem, probationis indignum pronunciarer. Probatur ergo: tum quia anima potest naturaliter esse absque omni materia signata quantitate: ergo à fortiori cum hac, vel cum illa esse potest; ac proinde hanc determinatè non respicit: tum etiam quia anima *Petri* v. g. vi diminutionis, & nutritionis, vique multiplicis alterationis, modò huic materie partiali, modò illi, & modò his accidentibus & quantitati, modò aliis coniungitur: cur ergo ad hæc materiam quantitativam totalem indeterminata non sit: tum, quia si hoc numero accidens, quantitas v. g. est indifferens ad hoc numero subiectum, vel ad illud, ut conspiciere est in quantitate Eucharistica, quæ ante consecrationem in substantia panis, & post consecrationem, ac specierum corruptionem, in substantia carnis aut vermium recipitur, cur anima à subiecto explicatur, & absolutior omni accidente ad hanc numero materiam, vel ad aliam indifferens non sit? Tandem duæ intellectiones Angelicæ solo numero differunt: at non in ordine, aut respectu ad materiam signatam quantitate: ergo, &c. Dices, substantiam Angeli habere se veluti materiam respectu earum intellectiōum, quas suscipit: vnde in ordine ad illam eas indiuiduari, & solo numero distingui. Verum in primis hæc solutio, qua nonnulli Thomistæ vtuntur, mutatis paululū nominibus, intentum nobis largitur. Deinde intellectiones Gabrielis v. g. eodem modo substantiam ipsius veluti subiectum respiciunt: igitur quod altera intellectio distinguitur ab altera, & sit hæc numero, ab eo respectu non sortitur: quo enim pacto fieri potest, ut respectus utriusque communis vnā tamē ab altero numero distinguat? Præterea si intellectiones Gabrielis solo numero differunt; quia substantia Gabrielis veluti materiam respiciunt; cur duo Angeli infra eandem speciem solo numero differre nequeant, eo quod ambo vocationem veluti quantitatem respiciant?

14 Obiiciunt primò Thomistæ: illud est principium indiuiduationis, quod est principium distinctionis, & multiplicationis numerice: at materia signata quantitate est principium distinctionis, & multiplicationis numerice, ut testatur Aristoteles 5. Metaphys. cap. 6. & 7. Metaphys. cap. 8. & 10. & 12. Metaphys. necnon B. Thomas opuscul. 29. & de ente, & essentia capit. 2. aliisque locis superius adductis. Obiiciunt secundò: indiuiduum est, quod est incommunicabile inferioribus similibus: sed materia est radix huius incommunicabilitatis: si quidem forma cum de se actus sit, est communicabilis: materia verò cum sit potentia, & alteri incommunicabilis: vnde potius materia, quàm for-

ma est radix incommunicabilitatis. Obiiciunt tertio: indiuiduum est primum subiectum in coordinatione Metaphysica: ergo primum subiectum physicum, quale proculdubio est materia, eius radix esse debet. Ceterum hæc momentosa non sunt. Ad primum respondeo; principium multiplicationis, & distinctionis, est etiam principium, & radix indiuiduationis; ceterum non materia, sed forma principaliter est principium distinctionis, ac multiplicationis, iuxta illud philosophicum axioma: *actus est qui distinguit*. Porro autem Aristoteles locis adductis neutiquam contendit, materiam vniuersum esse causam, & principium distinctionis, & indiuiduationis; sed id duntaxat sibi vult materiam signatam in rebus materialibus esse occasionem in rebus materialibus multiplicationis numericæ infra eandem speciem, ac per consequens indiuiduationis: cum enim materia signata quantitate sensibili, & physica, ac accidentibus, & se se inuicem oppugnantibus efficiat, ut species materiales, quas constituit, corruptibiles sint; eo autem ipso, quod species aliqua corruptibilis sit, necesse sit, ut infra eam indiuidua solo numero distincta producantur, ne species tota pereat, pereunte vno indiuiduo: inde, inquam, quasi occasionaliter est, ut eo ipso, quod materia signata sit quantitate, & accidentibus sensibilibus, & contrariis; eo, inquam, ipso indiuidua solo numero distincta infra eandem speciem multiplicentur.

15 Quod ad Beatum Thomam attinet, multoties aduersariis fauet, aliquoties etiam tantum contendit materiam signatam quantitate esse principium indiuiduationis quoad nos; eo quod vnum indiuiduum ab alio solo numero distinctum ab eo discerni per sensus nequeat, nisi vtrumque accidentibus sensibilibus specie diuersis signetur: si enim duplex albedo in eodem loco, & in eodem tempore, eiusdemque extensionis, & intensiōis sit; certe neutra ab altera per visum discerni poterit, esto per intellectum altera ab altera discerni possit, ut in Dialectica exposuimus. Verba B. Thomæ sunt, quæ sequuntur opusc. 3. 2. cap. 3. ibi: *ex hac materia, & hac forma fit indiuiduum substantia, non tamen est hic & nunc demonstrabile sine dimensionibus determinatis: & ideo dicitur materia sub certis dimensionibus causa indiuiduationis, non quod dimensionibus causent indiuiduum, cum accidens non causet suum subiectum; sed quia per dimensiones certas demonstratur indiuiduum hic & nunc sicut per signum proprium & inseparabile.*

16 Ad secundum respondeo, quod materia dicitur incommunicabilis potius, quam forma, falsum est: siquidem materia communis esse potest huic, & illi composito, homini v. g. & equo, aut leoni: ergo iis communicabilis est. Deinde vniri est communicari: materia autem huic, & illi formæ vniri potest: ergo & communicari. Præterea prædicari de pluribus inferioribus, est iis communicari: cum igitur materia prima de pluribus inferioribus prædicari possit v. g. de caelesti, & sublunari; certe iis communicabilis erit. Rursus transeat, materiam dici aliquo modo incommunicabilem, quo forma incommunicabilis non appellatur, eo quod forma superueniat materiæ, non è contrario; eoque quod materia nulli subiecto communicetur, sicuti forma: certe hæc incommunicabilitas materiæ est longè diuersæ rationis ab incommunicabilitate indiuidui propria, quæ quidem in eo consistit, quod de pluribus non prædicetur id quod indiuiduum, non vero in eo quod nulli subiecto communicetur: cur ergo merito huius incommunicabilitatis in ordine ad subiectum materia alterius

incommunicabilitatis, siue indiuiduationis principium censetur? Ad tertium respondeo, quod materia sit primum subiectum physicum, indiuiduum verò primum subiectum inco ordinatione metaphysica, non arguit, materiam esse primam rationem indiuiduationis: vtrumque enim subiectum est longè diuersæ rationis, nec proportionem in pluribus seruant: namque subiectum physicum est ex genere suo imperfectius formā, quam fuscipit: subiectum verò metaphysicum non est imperfectius prædicato, quod ei superuenit, ut cernere est in his propositionibus; *Petrus est homo, homo est animal, animal est viuens*, in quibus subiecta prædicatis perfectiora, & præstantiora. Deinde subiectum physicum vnam duntaxat formam substantialem fuscipit: subiectum verò metaphysicum pluribus prædicatis essentialibus specie diuersis simul subiacer. Præterea, nè multis morer, subiectum physicum à forma physica, cui subest, realiter distinguitur: subiectum verò metaphysicum formæ metaphysicæ, aut quasi formæ, cui subiacer, siue prædicato suo identificatur.

CAPVT IV.

Superioris instituti prosequutio.

17 Non pauci Doctores, inter quos P. Vasquez r. 1 in 3. p. disp. 74. cap. 8. aliter radicem indiuiduationis explicant, eamque non in materia signata quantitate, sed in circumstantiis temporis, & loci, aliisque similibus fingunt: ita verò philosophantur, non quod indiuiduum secundum se essentialiter sumptum circumstantiis illis accidentariis constitui, easue determinatè respicere censeant, sed quod hunc effectum potius quam alium solo numero diuersum hic & nunc produci à natura causarum secundarum adiunctis circumstantiis temporis, & loci, aliisque proficisci arbitrentur. Verum opposita sententia mihi magis probatur cum P. Suarez disp. 5. Metaphys. sect. 3. n. 4. & P. Hurtado disp. 10. Phys. sect. 4. & Conimbricensibus lib. 2. Physicor. cap. 7. quæst. 15. art. 2. & 1. de generat. cap. 11. q. 1. art. 3. aliisque pluribus, qui omnes in arbitrium, ac determinationem causæ primæ reuocant, quod ab his causis secundis, in his etiam circumstantiis temporis, & loci hic effectus potius quam alius omnino similis, ac solo numero distinctus egrediat. Prima ratio, quæ in hanc sententiam adducor, ita se habet: calor A v. g. est solo numero distinctus à calore B. ergo calor A non respicit essentialiter circumstantias temporis, & loci specie diuersas ab iis, quas calor B. respicit, nec in iis produci postulat; aliàs vterque calor diuersæ speciei esset, cum diuersa specie connotata diuersas essentias arguant. Antecedens propositio, & consequens de se perspicuæ sunt, & hæc à pluribus aduersariis, illa à plerisque conceditur: ambæ verò concessæ id manifestè efficiunt, calorem A produci posse in aliis temporis, & loci circumstantiis, ac proinde has indiuiduationes principia non esse. Argumentor secundò: calor A in his circumstantiis temporis, & loci productus, in aliis longè diuersis conseruatur: cur ergo in iis primo produci non potuerit: quemadmodum enim causæ rem conseruantes, eam primò producere possunt, ut omnibus exploratum est; ita certè circumstantiæ, in quibus res conseruatur, eæ erunt, in quibus res primò produci potuerit.

18 Argumentor tertio: calor non est in tempore, & loco per seipsum essentialiter, sed per vicationem, & durationem à se ex natura rei distinctam: ergo circumstantiæ temporis, & loci respectu caloris per accidens se

se habent, & respectu vocationis, & durationis, quibus prædictus est calor, per se se gerunt: ergo circumstantiæ illæ temporis, & loci calorem numero variare non poterunt, solamque vocationem, & durationem caloris variare poterunt: ac per consequens quod hic & nunc (vt aiunt) hic numero calor potius quam alius primò producat, à circumstantiis temporis, & loci proficisci nequit. Argumentor quartò: quia quod hæc specie actiones liberæ potius, quam aliæ, prauæ nimirum potius quam studiose, aut è contrario, à voluntate nostra oriuntur, à motu cæli, seu tempore reali non prouenit, cum cæli libero arbitrio non dominantur, eiusque libertatem non evertant, vt fide sanctū est: ergo etiam quod hæc numero actiones potius quam aliæ numero diuersæ à nostra voluntate existant in motum cæli, siuè tempus reale reuocari nequit: atque adeo circumstantia temporis radix indiuiduationis actuum liberorum esse non potest. Tandem voluntas non discernit hunc actum numero ab alio, cui omnino similis est, imò libertatem exercitura, & in amorem, vel odium abitura solum obiectum, non vero actus suos præcognoscit: igitur ad vnum præ alio omnino simili se se determinare, & alterum potius, quam alterū eligere nequit: ac proinde voluntas adiunctis etiam circumstantiis temporis, & loci radix indiuiduationis actuum suorum censenda non est. Quamobrem dicendum est, solam causam primam determinare ad indiuiduationem causarum secundarum, & quod hic calor v.g. potius quam alius solo numero diuersus producat, ideo est, quia Deus præparat concursum igni ad hunc potius, quam ad illum; siue, quod perinde est, quia decernit concurrere cum igne ad hunc calorem A v. g. & non ad alium vllum ex infinitis, quos sibi & igni possibiles compicit: vnde quemadmodum materia signata quantitate non est radix indiuidui in facto esse, vt contra Thomistas superius ostendimus: ita circumstantiæ temporis, & loci principia esse nequeunt in fieri, vt hoc cap. ostensum manet.

19 Obijcies primò, si causa creata in his circumstantiis esset in differens ad hunc, vel illum numero effectum, esset pari ratione indifferens ad infinitos solo numero distinctos. Consequens est absurdum, & contra limitatam, finitamque causæ creatæ virtutem: ergo non habet eiusmodi indifferenciam ad indiuiduationem suorum effectuum: atque adeo ad illam à Deo non determinatur. Secundò quia aliàs esset indifferens de se ad effectum numquam productum producendum, aut semel productum reproducendum, cum eiusmodi effectus solo numero differant. Consequens absurdum est: siquidem effectus semel productus, & corruptus naturaliter impossibilis est. Tertiò quia si Deus determinaret effectus causarum secundarum quoad earum indiuiduationem, id munus exerceret decreto aliquo efficaci, quo vellet, vt hic effectus numero determinate existeret. Consequens autem falsum est; aliàs Deus ea ratione causas liberas quoad indiuiduationem determinans, earum libertatem euerteret, cum iisque ad peccata veluti eorum author & causa concurreret. Verum hæc admodum non virget. Ad primum respondeo, quod causa creata indifferens sit ad infinitos effectus non simul, sed diuisiuè producendos, infinitam simpliciter in ea virtutem nõ arguit: qua ratione Petrus infinita pondera diuisiuè sumpta hic & nunc portando est, nimirum decem libras æris, aut decem ferri, aut decem auri, aut decem argenti, & sic in infinitum, quin propterea in eo infinite vires sint. Ad secundum respondeo, indifferenciam causæ ad hos, vel illos numero effectus intelligendam solum esse de effectibus naturaliter possibi-

R.P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

libus: cur autem effectus semel productus, & postea corruptus naturaliter impossibilis sit lib. 2. tract. 3. c. 4. Physicæ fusè expositum est. Ad tertium etiam lib. 4. Physicæ factum est satis.

TRACTATUS VI.

De veritate, & bonitate entis vt sic.

CAPVT I.

De veritate entis vt sic.

 V A M ita explicare animus est, vt circa eam dissidentes opiniones conciliandæ, non impugnandæ mihi sint: sic enim fiet, vt veritatem explicaturus ab ea minùs aberrem. Veritas ergo transcendentalis, entis passio communiter, & merito habita, duplex est: alia physica, & intentionalis alia. Veritas physica, naturam entis velut passio consequens est, qua quæuis res à non ipsa distinguitur. Suadetur primò auctoritate Augustini lib. 2. soliloquiorum cap. 5. ibi: *verum est id, quod est* (puta quod non est aliud, quàm est) *non autem id quod videtur, aut quod tale est, quale videtur: quia etiamsi res non videatur, neque conformitatem habeat cum aliqua cognitione, nihilominus vera est.* Vbi Augustinus veritatem non in conformitate aliqua cum intellectu, sed in ipsa re prout præcisa ab intellectu, & prout in se distincta à quauis alia collocat. Idem sensisse videtur Auicenna in sua Metaphysica ibi: *veritas rei est proprietas esse vniuersiusque rei, quod stabilium est ei*: quasi diceret, eatenus aliquid dici verum, quatenus habet esse stabile in se, ab aliisque distinctum, atque in ea non dilabens. Beatus Thomas etiam 1. contra Gent. cap. 60. procul non abest, ibi: *res tamen interdum vera dicitur, secundum quod actum propria natura consequitur*: quasi vellet, in tantum aliquid dici verum, in quantum sortitur esse proprium sibi, siue à quouis alio distinctum. Idem etiam Aureolus, alique antiquiores teneant.

2 Ratione suadetur: quia hoc ipso, quod lignum v.g. sit lignum, & distinctum à quouis alio non ligno, verum lignum est, circumscripto per intellectum quouis alio, nempe conformitate, aut relatione, ad intellectum, vel quippiam simile: igitur veritas transcendentalis ligni in eius distinctione à quouis alio, quod lignum non sit, consistit. Consequentia teneat. Antecedens seipso manifestum est, & penè ad verbum Augustini vbi supra: *vnde enim lignum est hoc, inde etiam verum lignum est: nec fieri potest, vt per se ipsum, id est sine cognitione lignum sit, & verum lignum non sit.* Secundò quia rem distingui à quauis alia, est attributum entis: siquidem ens ratione nostra consequitur, cum eo reciprocatur: nullumque ens est quod ab alio distinctum non sit; quodque ideo distinctum non sit ab alio, quia tale ens est: at hoc, quod est, rem distingui à quauis alia, non est bonitas, vt constat, nec vnitas, vt supra ostensum est: ergo veritas. Tertiò quia si per impossibile nec Deus, nec creatura vlla intellectu pollerent, vel in ea hypothese daretur verum transcendentalis, vel non daretur: si primum: ergo verum transcendentalis non in conformitate cum aliquo intellectu, sed interdum in distinctione rei à non ipsa consistit: si secundum: ergo in eo euentu verum esset, non dari verum transcendentalis: atque aded daretur verum transcen-

H 2 dentale